

tot ferme numero sunt , quot & opificum genera) sub 1486
 signis religiosa quadam ac solenni pompa ordine præcedunt . Succedit inde numerosus clerus . Funus ipsum pul-
 latorum vis ingens mœsto silentio sequitur , juxtaque pa-
 tricorum non parva manus , purpura & coco culta , quo
 datur intelligi , in quantumvis optimi Principis funere ci-
 vitatem , quæ libera est , in luctu esse non oportere . Hi
 lætiore cultu ornati , ubi funus templo est illatum , sug-
 gestum quo cadaver imponitur , venerabili confessu cingunt , dum interim defuncti memoria pro concione po-
 puli more majorum laudatur . Hinc patriciis reversis , pri-
 ma ad novum Principem creandum comitia indicuntur .
 Sed idcirco ad hunc civitatis morem describendum ac-
 cessi , ut ex iis quæ diximus appareret , Republica inco-
 lumi , eundem semper civitatis vultum esse solere , nec
 privatum dolorem aliquo modo illius faciem variare .

Augustinus Barbadicus , defuncti Principis frater , vir &
 vitæ innocentia & gravitate senatoria insignis , ac tum
 Divi Marci Procurator , fratri successor est datus . Fuit
 ea declaratio eo civitati gravior , quo facilius est omnibus
 persuasum , qui defuncto similior futurus esset , potuisse
 creari neminem . Quod & ipse ita futurum postridie quam
 ad dignitatem fuerat proiectus , pro concione populi man-
 suetissima ostendit oratione . Accedebat his præsentiae di-
 gnitas ac majestas quædam , quam cana barba , & ad pe-
 ñus propexa adhuc venerabiliorum facit . Post ejus decla-
 rationem , quum omnia ocio & luxu , ut antea , florerent ,
 fratris vestigia secutus , & ipse a ducarii instauratione
 suam est administrationem auspicatus : quod opus a fron-
 te , qua vestibulum spectat , magnifico & sumptuoso ap-
 puratu magna est ex parte confectum . Antonius Ferreus
 hyeme illa , quæ secuta est , ac non multo post Joannes
 Darius , Byzantium ad Turcorum Imperatorem sunt mis-
 si . Antonius Lauretanus , qui legati munere apud Ponti-
 ficiem fungebatur , ex urbe revocatus , quia Rempubli-
 cam parum ex sententia Patrum administrasse credebatur ,
 homo alioquin præstanti ingenio & eruditione præditus , in
 de-

Augustinus
Barbadicus
succedit .

1487